



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De laude Dei. Qu[a]estio 91.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

De diuini nominis assumptione ad inuocandum per orationem vel laudem, in duos articulos diuisa.

**D**Einde considerandum est de assumptione diuini nominis ad inuocandum per orationem vel laudem. Et de oratione quidem iam dictum est. Vnde nunc de laude restat dicendum.

¶ Circa quam quaruntur duo.

¶ Primo, vtrum Deus sit ore laudandus?

¶ Secundo, vtrum in laudibus Dei sint cantus adhibendi?

## ARTIC. I.

Vtrum Deus sit ore laudandus?

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod Deus non sit ore laudandus. Dicit enim \* Philosophus in 1. Ethicorum, Optimorum non est laus, sed maius aliquid & melius. Sed Deus est super omnia optima. Ergo Deo non debetur laus, sed aliquid maius laude. Vnde & Eccl. 43. dicitur, quod Deus maior est omni laude.

¶ 2. Præterea, Laus Dei ad cultum ipsius pertinet: est enim religionis actus. Sed Deus mente colitur magis quam ore. Vnde Dominus Matthæi decimoquinto, contra quosdam inducit illud Isaïæ 29. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè à me. Ergo laus Dei magis consistit in corde, quam in ore.

¶ 3. Præterea, Homines ad hoc ore laudantur, vt ad meliora prouocentur. Sicut enim mali ex suis laudibus superbiunt; ita boni ex suis laudibus ad meliora prouocantur. Vnde dicitur Proverbiorum vigesimoseptimo, Quomodo probatur in conflatorio argentum, sic probatur homo ore laudantium. Sed Deus per verba hominum non prouocatur ad meliora, tum quia immutabilis est, tum quia summè bonus est, & non habet quo crescat. Ergo Deus non est laudandus ore.

SED

495

3. d. 9. q. 1

ar. 3. q. 3.

con. et ad

2. et 4. d.

15. q. 4. a.

1. q. 1. cõ.

et Ps. 32.

co. 1. et 2.

et Eph. 5.

lc. 7. co. 2.

\* c. penul.

30. 5.

SED contra est, quod in Psal. 62. dicitur, Labijs exultationis laudabit os meum.

RESPONDEO dicendum, quòd verbis alia ratione vimur ad Deum, & alia ratione ad hominem. Ad hominem enim vimur verbis, vt conceptum nostri cordis, quem non potest cognoscere, verbis nostris ei exprimamus: & ideò laude oris ad hominem vimur, vt vel ei vel alijs innotescat, quòd bonam opinionem de laudato habemus: vt per hoc & ipsum qui laudatur ad meliora prouocemus; & alios apud quos laudatur, in bonam opinionem, & reuerentiam, & imitationem ipsius inducamus. Sed ad Deum verbis vimur, non quidem vt ei qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus; sed vt nos ipsos & alios audientes ad eius reuerentiam inducamus. Et ideò necessaria est laus oris, nò quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem: cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipsius, secundum illud Psalmi 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Et in quantum homo per diuinam laudem affectu ascendit in Deum, in tantum per hoc retrahitur ab his quæ sunt contra Deum: secundum illud Isai. 48. Laude mea infranabo te, ne intereas. Prodest etiam laus oris ad hoc, quòd aliorum affectus prouocetur in Deum. Vnde dicitur in Psal. 73. Semper laus eius in ore meo. Et postea subditur, Audiant mansueti & latentur. Magnificate Dominum mecum, &c.

Ad primum ergo dicendum, quòd de Deo dupliciter possumus loqui. Vno modo quantum ad eius essentiam. Et sic, cum sit incomprehensibilis & ineffabilis, maior est omni laude. Debetur autem ei secundum hanc comparisonem reuerentia & latriæ honor. Vnde & in Psal. 64. secundum translationem ꝑ Hieron. dicitur, Tibi silet laus Deus: quantum ad primum. Et tibi reddetur votum; quantum ad secundum. Alio modo, secundum effectus ipsius qui in nostram vtilitatem ordinantur; & secundum hoc, debetur laus Deo. Vnde dici-

ꝑ 10. 8. 10  
in Psal. 64.  
10. 1.

dicitur Isai. 63. Miserationum Domini recordabor: laudem Deo super omnibus quæ reddidit nobis Dominus. Et Dionysius \* dicit 1. capit. de diuinis nominibus. Omnem sanctum theologorum hymnum, idest, diuinam laudem, inuenies ad beatos thearchiæ, idest, diuinitatis processus, manifestatiuè & laudatiuè Dei nominationes diuidentem.

Ad secundum dicendum, quod laus oris inutilis est laudanti, si sit sine laude cordis. Sed tunc loquitur Deo laudem, dum magnalia operum eius recogitat: cum affectu. Valet tamen exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis, & ad prouocandum alios ad Dei laudem, sicut dictum \* est.

Ad tertium dicendum, quod Deum non laudamus propter utilitatem suam, sed propter utilitatem nostram, ut \* dictum est.

*Ibidem.*

## ARTIC. II.

*Vtrum in diuinis laudibus sint cantus assumendi?*

496  
locis a. 1.  
inductis.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod cantus non sint assumendi in laudem diuinam. Dicit enim Apostolus ad Coloss. 3. Docentes & commonentes nosmetipsos in Psalmis & Hymnis & canticis spiritualibus. Sed nihil debemus assumere in diuinum cultum, præter ea quæ nobis auctoritate Scripturæ traduntur. Ergo videtur, quod non debemus uti in diuinis laudibus canticis corporalibus, sed solum spiritualibus.

10. 9. habetur in decret. d. 92. c. cantantes.

¶ 2 Præterea, \* Hieronymus super illud ad Ephesios 5. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: dicit, Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus in ecclesia est, psallendi officium: Deo non voce, sed corde cantandum. Nec in tragediarum modum guttur & fauces medicamine liniendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica. Non ergo in laudes Dei sunt cantus assumendi.

¶ 3 Præterea, Laudate Deum conuenit patuis & magnis: secundum illud Apocalypsis 19. Laudem dicit

cite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis Deū  
 pusilli & magni. Sed maiores qui sunt in Ecclesia, non  
 decet cantare. Dicit enim \* Gregorius & habetur in  
 decretis distinctione 92. cano. In Sancta Romana Ec-  
 clesia: Presenti decreto constituo, vt in sede hac sa-  
 cri altaris ministri cantare non debeant. Ergo cantus  
 non conueniunt diuinis laudibus.

\*lib. 4. re-  
 gis. c. 88.  
 paulo à  
 pr. et ha-  
 betur di.  
 92. c. in  
 san. Rom.

¶ 4 Præterea, In veteri lege laudabatur Deus &  
 musicis instrumentis & humanis cantibus, secundum  
 illud Psal. 32. Confitemini Domino in cithara: in  
 psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei  
 canticum nouum. Sed instrumenta musica, sicut citha-  
 ras & psalteria, non assumit ecclesia in diuinas laudes,  
 ne videatur iudaizare. Ergo pari ratione nec cantus  
 in diuinis laudes sunt assumendi.

¶ 5 Præterea, Principalior est laus mentis, quàm  
 laus oris. Sed laus mentis impeditur per cantus: tum  
 quia cantantium intentio abstrahitur à consideratio-  
 ne eorum quæ cantant, dum circa cantum student: tū  
 etiam quia ea quæ cantantur, minus ab alijs intelligi  
 possunt, quàm si sine cantu proferrentur. Ergo cantus  
 non sunt in diuinis laudibus assumendi.

SED contra est, quod beatus Ambrosius in Eccle-  
 sia Mediolanensi cantus instituit; vt \* Augustin. re-  
 fert in 9. confess.

c. 7. 10. 1.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra di-  
 ctum \* est, laus vocalis ad hoc necessaria est, vt affe-  
 ctus hominis prouocetur in Deū. Et idè quæcūq; ad  
 hoc vtilia esse possunt, in diuinis laudes congruenter  
 assumuntur. Manifestū est autem, quòd secundum diuersas  
 melodias sonorum, animi hominum diuersimodè dispo-  
 nuntur: vt patet per Philos. \* in 8. Polit. & per Boe-  
 tium in prologo musicæ. Et idè salubriter fuit insti-  
 tutum, vt in diuinis laudes cantus assumerentur: vt  
 animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotio-  
 nem. Vnde August. \* dicit in 10. confess. Adducor  
 cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt  
 per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affe-  
 ctum

art. præc.

c. 5. 6. 7.

7. 1. c. 1.

c. 6. 11. 11.

c. 6. 11. 11.

10. 1.

10. 1.

ctum

Et cum pietatis surgat. Et de seipso \* dicit in 9. conf.  
*c. 6. circa* Fleui in hymnis & canticis tuis, suauē sonantis eccle-  
*fn. 10. 1.* sia tuæ vocibus commotus acriter.

Ad primum ergo dicendum, quod cantica spiritualia possunt dici, non solum ea quæ interiorius canuntur in spiritu, sed etiam ea quæ exteriorius orē cantantur, in quantum per huiusmodi cantica spiritualis deuotio prouocatur.

Ad secundum dicendum, quod Hieron. non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos qui in ecclesia cantant more theatro, non propter deuotionem excitandam, sed propter ostentationē vel delectationem prouocandam. Vnde Aug. dicit \* in 10. conf. Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quā res quæ canitur moueat, penāliter me peccare confiteor, & tunc malle non audire cantantem.

Ad tertium dicendum, quod nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quā per cantum. Et ideo diaconi & prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur. Vnde ibidem \* Gregorius dicit, Consuetudo est valde reprehensibilis, ut in diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inferuant: quos ad prædicationis officium & eleemosynarum studium vacare congruebat.

Ad quartum dicendum, quod sicut Philosophus \* dicit in octauo Politicorum, neque fistulas ad disciplinam est adducendum, neque aliquod aliud artificiale organum, puta citharam, & si quid tale alterum est: sed quæcumque faciunt auditores bonos. Huiusmodi enim musica instrumenta, magis animum mouent ad delectationem, quā per ea formetur interiorius bona dispositio. In veteri autem testamento vsus erat talium instrumentorum: tum quia populus erat magis durus & carnalis; unde erat per huiusmodi instrumenta prouocandus, sicut & per promissiones terrenas: tum  
 etiam

etiam quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.

Ad quintum dicendum, quod per cantum, quo quis studiosè ad delectandum utitur, abstrahitur animus à consideratione eorum quæ cantantur. Sed si aliquis cantet propter deuotionem, attentius considerat quæ dicuntur: tum quia diutius moratur super eodem: tum quia, ut August. dicit in 10. confess. Omnes affectus spiritus nostri pro sua diuersitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. Et eadem etiam est ratio de audientibus; in quibus etsi aliquando non intelligant quæ cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei. Et hoc sufficit ad deuotionem excitandam.

c. 33. inter pr. et med. 10. 1

QVÆST. XCII.

De vitijs religioni oppositis: & primo de superstitione, in duos articulos diuisa.

Postea considerandum est de vitijs religioni oppositis.

¶ Et primo de illis quæ cum religione conueniunt in hoc quod exhibent cultum diuinum.

¶ Secundo, de vitijs manifestam cõtrarietatem ad religionem habentibus, per contemptum eorum quæ pertinent ad diuinum cultum. Primum autem horum pertinet ad superstitionem. Secundum autem ad irreligiositatem. Vnde primò considerandum est de ipsa superstitione, & de partibus eius. Deinde de irreligiositate, & partibus eius.

¶ Circa primum quærentur duo.

¶ Primo, vtrum superstitio sit vitium religioni contrarium?

¶ Secundo, vtrum habeat plures partes seu species?

ARTIC. I.

Vtrum superstitio sit vitium religioni contrarium?

Ad primum sic proceditur. Viderur, quod superstitio non sit vitium religioni contrarium. Vnum Sec. Sec. Vol ij.

D d enm

497  
inf 994.  
ar. 1. cor.  
et qu. 97.  
ar. 1. cor.  
et 9. 122.  
ar. 3. cor.  
et 1. d. 9.  
q. 2. ar. 1.  
q. 2. ad 3.